

duas tertias trium quartarum duarum quinta-  
rum quatuor septimarum, & secūda compre-  
hendat tres quartas duarum quintarum qua-  
tuor septimarum, & tertia significet duas  
quintas quatuor septimarum: operatio, qua  
omnes hæ fractiones fractionum, nimirum  $\frac{2}{3}$ .  
vnius quartæ vnius quintæ vnius septimæ, &  
 $\frac{3}{4}$ . vnius quintæ vnius septimæ, &  $\frac{2}{3}$ . vnius se-  
ptimæ; vel  $\frac{2}{3}$ . trium quartarum duarum quin-  
tarum quatuor septimarum, &  $\frac{3}{4}$ . duarū quin-  
tarum quatuor septimarum, &  $\frac{2}{3}$ . quatuor se-  
ptimarum, ad  $\frac{1}{7}$ . adduntur, insitio dicitur. &  
sic de alijs.

**Insitio  
duplex  
est.**

Est ergo insitio duplex: vna, quando quæ-  
libet minutia est fractio vnius duntaxat par-  
ticulæ omnium sequentium minutiarum; al-  
tera, quando quælibet minutia est fractio in-  
tegrarum omnium minutiarum sequentium,  
vt in exemplis patuit. Arithmetici omnes de  
prima solum insitione locuti sunt, nulla pror-  
sus facta mentione insitionis secundæ, eam  
fortassis ob causam, quòd prima utilis sit ad  
diuidendum quemcunque numerum integrū,  
vnà cum fractione aliqua per numerum in-  
tegrum, vt paulo post dicemus. Quoniam  
vero secunda insitio egregium quoque vsum  
habet in progressib<sup>9</sup> Geometricis, vt, Deo  
iuuante, in maiore nostro Arithmetices ope-  
re declarabimus; vtriusque insitionis regulam  
trademus.

**Insitio p-  
pter qd  
excogita-  
ta sit.**

**Differen-  
tia inter  
insitionē,  
& redu-**

Magnum autem discrimen est inter insitio-  
nem, & operationem illā qua cap. 9. minutias  
minutiarum ad simplicem minutiam reduce-  
redo-